



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 115. Bellum inter Hungaros & Bohemos.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

tibus ad unum omnibus trucidatis; ipse vero insigni geminæ hujus victoriæ gloria nobilitatus inclaruit.

Sæcul. XV.
A.C. 1489.

§. CXV.

Bellum inter Hungaros & Bohemos.

Hoc anno inter Matthiam Hungariæ, *Bonfin. dec. & Wladislaum Bohemiæ Reges no-4. lib. 8.*

vum, haud tamen diutinum accendebatur bellum, cujus causa sequens extitisse memoratur. Matthias adversa valetudine pressus, cum Hungariæ Regnum repugnante Beatrice conjuge sua, Joanni filio suo Notho relinquere non posset, decrevit, eundem saltem Bohemiæ, cujus titulum cum magna illius regni parte possidebat, Regem constituere; præsertim cum Mediolanensium Dux sororem suam Joanni in sponsam dare recusasset, nisi ille regnum esset adeptus. Ea ergo de causa Matthias in Silesia nonnullos Gubernatores, ut ei constituto pretio urbes suas venderent, sollicitabat, nonnullos vero recusantes armis compellebat: Hinc Wladislaus indignatus, bellum parat, copiasque educit, sed paulo post opera Varadinensis Episcopi placatus est: unde Matthias plurimas urbes, quas coemerat, nemine obluctante quietus possedit, nec ad felicitatis suæ cumulum quicquam defuisse videbatur, quam firmior

Sæcul. XV. mior valetudo ; ita enim accedente po-
 A. C. 1489. dagra, aliisque morbis laborare cæpit,
 ut nunquam pedibus ultra consistere pos-
 set. Nihilominus publicis rei negotiis, ut
 ante intentus, plurimas undique legatio-
 nes suscepit, Oratores Principum ad al-
 loquium admisit, resque diversas cum
 illis pertractavit: præcipue vero Innocen-
 tii summi Pontificis Legatos audivit, qui
 liberationem Petri Archiepiscopi Colo-
 zensis quatuor jam annos in carcere ta-
 bescentis deprecabantur, nec tamen id
 impetrare poterant. Bajazethes quoque
 ad Matthiam Oratores destinabat, qui
 pacem postularent, ut compositis cum
 Hungaro rebus, tanto potentius Ægy-
 pti ac Syriæ Sultanis bellum inferre, &
 acceptam ab eis injuriam ulcisci posset:
 cum vero Syriæ Sultanus Jerosolymita-
 num Patriarcham ad Matthiam ablegas-
 set, non modo pax cum Bajazethe inita
 non est, sed insuper eidem Patriarchæ
 in mandatis datum, ut Romam demum
 contenderet, ad ineundam in Turcas so-
 cietatem Papam induciurus.

§. CXVI.

*Bourcherii, Piccolominæi, & Wes-
 selii Cardinalium obitus.*

Polyd. Virg. Hist. Ang. lib. 24. Hoc anno sacrum Purpuratorum Colle-
 gium planxit Thomam Burscherum
 seu